

**47. Atti della commissione pontificia per la riforma
il 20 gennaio 1556.¹**

Acta super reformatione Ecclesiae
sub Paulo III pontifice max^o an. MDLVI.

Prima Congregatio. — Pontifex exponit promptitudinem animi et desiderii sui circa universalem Ecclesiae reformationem, proponitque caput a quo sit initium auspicandum.

Cum sanctissimus in Christo pater et dominus nost^r dominus Paulus divina providentia papa quartus, iam inde ab initio assumptionis suaे animum adieceret ad ea facienda quae honori Dei et fidei suaे catholicae exaltationi conducere viderentur, nihil sibi antiquius fuit quam ut generali ipsius Ecclesiae reformationi omne studium et operam navaret. Quam quidem intentionem et si perpetuo ab ipso pontificatus initio retinuerit, eam tamen ob diversa impedimenta et publicas occupationes, quae hoc medio tempore acciderunt, executioni hactenus, non sine animi sui ingenti dolore, demandare non potuit. Verum, ne hoc tam sanctum et salutare Beat^s suaे propositum diutius in ipsius Ecclesiae detrimentum et animarum dispendium differetur, ipsi reformationi absque ulteriori mora initium. Deo favente, dare constituit. Et licet pontifex. Spiritu Sancto duece, ac potestate sibi a Deo tradita, per se solum hanc provinciam absolvere potuisse, tamen, quia ubi est multitudo sapientum ibi est salus et verum consilium, decrevit rem ipsam cum venerabilibus fratribus suis S. R. E. cardinalibus primo, deinde cum aliquibus episcopis et praelatis ac etiam omnis ordinis etiam inferioris sacrae theologiae professoribus, nec non canonum et legum peritis, conferre atque examinare, ut tandem, Deo ipso iuvante, reformatio ipsa communione omnium voto et consilio in Ecclesia Dei decerneretur.

Quare hodie, die lunae xx mensis ianuarii, anno a nativitate Domini MDLVj, hora xx, vocatis ad se cardinalibus, praelatis, theologis et aliis infrascriptis, ad ipsius omnipotentis Dei gloriam et religionis christianaee incrementum, congregationem primam super ipso negocio reformationis, in palatio apostolico, in aula magna superiori, quae Constantini nuncupatur, habuit. Quibus dominis et praelatis sic congregatis Sanctitas Sua primum significavit eius pium desiderium et animum reformandi abusus in Ecclesia Dei hominum et temporum iniuria subertos; retulitque labores, quos hactenus superiores eius summi pontifices, etiam congregatione concilii generalis, consumperunt; et quod, licet res ipsa frustra hucusque tentata fuerit, sperare se tamen in bonitate Dei eam aliquando praestari posse. Qua quidem in re omnem operam, omnem diligentiam et curam esse adhibituram; et pro qua nihil laboris, nihil incommodi nihilve alterius cuiusvis oneris, etiam cum propriae vitae periculo, haud subituram esse. Cum autem caput et radicem totius reformationis esse haeresim simoniacam ostendisset, in primis et ante omnia ad eam eradicandam et penitus evelendarum omni conatu vacandum esse compro-

¹ Cfr. sopra p. 430 e MASSARELLI 286.